

1
6
516







ORATIO DE SCORBVTO:

Habita in Archi-Lycæo Patavino, die 6. Nov. 1678.

A CAROLO PATINO

DOCTORE MEDICO PARISIENSI,

Medicinam practicam Interpretante.



PATAVII, MDCLXXIX.

Typis, Io: Baptistæ Pasquati. *Superiorum Permissu.*

34

Illustrissimo & Excellentissimo D.

D. ANGELO
MAVROCENO,
DIVI MARCI PROCVRATORI, &c.

CAROLVS PATINVS.



Res jam propemodum anni sunt, ex quo cultus & grati mei aduersus Te animi publicum aliquod monumentum erigere cogito. Sed cùm meritorum Tuorum magnitudinem considero, quibus Serenissimæ Reipublicæ, quæ jam mihi patriæ loco est, decus in immensum auges, cumque benevolentiam illam singularem animo reputo, qua me nihil tale merentem hucusque complecti voluisti; dum nihil reperio quod Nominis Tui, Tuorumque erga me beneficiorum amplitudine dignum videatur; factum est vt de die in diem, & de anno in annum, voti illius debitique solutionem distulerim, non sine aliqua mea in in Te ἀχαριστίας nota, quam ne diutiùs sustinerem, dissertationem hanc DE SCORBVTO, quam his proximis diebus in florentissimo hoc Venetorum Athenæo habui, Tibi qua decet animi demissione inscribere decreui. Indignam equidem fateor quæ summis Tuis erga me meritis reponatur, neque enim illo quicquam satis dignum à me proficisci posse scio, quem in tanta dignitatis & gloriæ luce collocatum, veluti solem quendam fortunæ meæ nubes discutientem hucusque expertus sum & exosculatus: In quo abunde reperio, quo me de maximi Viri deque Republica ciuili ac litteraria, & de me quoque optimè meriti BAPTISTÆ NANII tam acerba bonis omnibus morte me consoler. Itaque illud jam vnicè mihi propositum est, vt qualecunque obsequij mei ac mentis Tibi penitus deuotæ testimonium publicè perhiberem. Quod consilium meum, gratique impetum animi, si Tibi probatum iri sperare ausim, amplissimum laboris fructum me consecutum esse putabo. Vale.

E Musæo nostro Patauino, 15. Nouembr. 1678.

Illustrissime ac Generosissime Syndice, Sapientissimi Professores, Auditores humanissimi.



Nter Ciceronis scripta cùm nihil fermè occurrat nisi sapienter, nihil nisi præclarè dictum, tum illo *pro Manilia* vix quicquam dici potest verius, ne dicam diuinius, *Homines*, inquit ibi, *ad Deos nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando*. Siue enim ciuilem atque communem siue priuatam vitam respiciamus, summos semper homines, & ingenij celsitudine præstantes, vnum illud egisse videmus, vt patriam, parentes, cognatos, ciues, saluos atque incolumes seruarent, omneque periculum á suis suorumque capitibus auerterent; vt ita, qualicunque possent ratione, ciuitatem efficerent opibus locupletem, gloriá amplam, virtute honestam; tum & rerum vbertate ac securitate florentem. Hoc ipsum est quod qui summis laboribus atque prudentia quadàm diuina consecuti sunt, velut humani generis sortem excedentes, diuinis honoribus colendos censuit antiquitas: Quod de ciuili & publica, idem de singulorum vita sentiendum nobis est. Etenim cúm in priuata hominum vita sanitate, sine qua diuitiæ, potentia, gloria, atque ipsa etiam animi magnitudo, misera est atque amara, nihil fingi posit præstabilius, nihil dulcius; non immeritò qui illam inter mortales conseruare, labantem confirmare, pereuntem reducere, ac omnino deperditam instaurare docuerunt, veluti Deos quosdam suspiciendos eadem antiquitas censuit. Nempè fieri non potest vt publicè benè sit illi ciuitati, in qua malè se habent ciues singuli. Hinc ars medendi, disciplinarum omnium ad vitam benè quietèque degendam maximè necessaria.

Sicut autem prudentes rerum publicarum moderatores, bellique duces non semper vi aperta, vel collatis signis agendum censent, sed vel hostium consilia præuertunt, vel terras occupant, arcesque diruunt; atque ita dum regionem suam ab hostium incursionibus seruant intactam, ne quid detrimenti capiat res publica prudenter cauent: His enim artibus non minores triumphos cunctando quàm alij pugnando meruit Fabius ille Maximus. Non aliter Medicus indicto morbis bello, continuò pugnare, hostemque tam sævum profligare neutiquam contentus, terra marique conquirit artes, quibus aut erumpentem morborum impetum frangat, & nascentes veluti scintillas suffocet, aut corpora ita præmuniat atque præseruet, vt nocendi locus, si quis illorum ingruere tentaret, relinquatur nullus.

Mihi quidem in illam curam incumbenti toti, qua potissimum ratione clarissimorum Medicorum vestigijs insistens, indies maiora Auditoribus meis, & si fieri posset vniuerso hominum generi procurarem commoda, hanc enim præcipuam virorum Sapientum & Medicorum cogitationem

esse decet; dum infinita materiarum seges obuersatus animo, vt fermè quamnam excutiendam & pertractandam susciperem, dubius hærerem, incessit tandem mentem cupido DE SCORBVTO differendi aliqua & commentandi: morbo sæuissimo, ab Antiquis rudi tantum Minerua descripto, neque tamen prorsus incognito. Scilicet vt quod in prouerbio est, tela præuisa minùs feriant, morbi sæuientis furorem infringere, ægrotantibus verò animum addere, Medicoque vires cogito, pestis illius originem, causas, signa, & symptomata enumerando, quibus cognitis, mederi postea faciliùs possit.

Neque verò quemquam stricto adeo jure mecum experturum confido, vt neglecti officij actionem intendere velit, eò quod fidei nostræ commissa sit hoc anno, morborum superiorum expositio. Cùm enim inter hos præcipuè SCORBVTVS emineat symptomatibus, majoremque Europæ partem infestet, satius esse duxi vrgenti potius periculo obuiam ire, quàm muneris mei receptique ordinis leges nimis rigidè seruare. Sic enim ciuem bonum nullus prudens vituperauerit, si foro ad tempus derelicto, hostes in mœnia irrumpentes arcuerit, aut ignem loca vicina corripientem omniaque deuorantem restinxerit.

SCORBVTO primùm vexabantur qui septentrionales Baltici maris oras accolunt, illiusque loca vicina paludosa. Isti eum vt morbum familiarem, ἐπιχώριον & ἐνδήμιον primi sentiebant, eo prorsus more quo Iudæi lepram, Ægyptij elephantiasin, Hispani strumas, bronchocelem Alpini, picam Poloni, phthisim Angli, siphylidemque Indi Americani. Verùm is tandem neglecta sede auita, longè latèque virulentiam suam effundens, Daniam occupauit, Holsatiam, Prussiam, Silesiam, Bohemiam: Quin & nauigia insedit, & æratis inhærens triremibus, vnà cum vectoribus deterrima merx in Angliam, Belgium, Lusitaniam, Americamque delata est. Denique & Galliæ ac Italiæ maritima loca infestans nec mediterraneis pepercit; & progressu temporis, ipsam Lutetiam, orbis compendium ac miraculum, inuadendo, viam sibi aperuit amplissimam etiam penitiores Europæ partes, quibus olim planè ignotus erat, peragrandi. Compertum habeo, Auditores, octo abhinc annis decem plus minus millia Gallorum atroci hoc morbo infecta, quantumvis multùm obnitente Medicorum nostratum industria, dimidia tamen parte absumpta, reliquos vix ac ne vix quidem saluos euadere potuisse.

Hujus morbi nomen apud veteres Græcos Latinosque frustra esset indagare, apud quos nonnisi rarissimè occurrunt quædam tantùm ejus symptomata. Hippocrates quidem προῤῥητικῶν B. *Sect.* 42. nominat *gingiuas vitiatas & ora graueolentia illis quibus sunt magni splenes:* οὖλα δὲ πονηρὰ καὶ στόματα δυσώδεα, οἷσι σπλῆνες μεγάλοι. Et *l. de internis affectionibus, sect.* 34. ijsdem alia adjungit signa, his verbis: *Venter inflatur, postea etiam splen intumescit & durus est, & dolores*

acuti

acuti in ſplenem incidunt. Color mutatur & conſpicitur niger, pallidus, &c. gingiuæ malè olent & à dentibus diſcedunt, & ex tibijs vlcera erumpunt, &c. Η γαστὴρ φυσᾶται, μετὰ δὲ καὶ σπλὴν οἰδέει, καί σκληρός ἐστι, καὶ ὀδύναι ὀξεῖαι ἐμπίπτουσιν ἐς τόν σπλῆνα; ἡ δὲ χροιὴ τρέπεται καὶ ὁρᾶται μέλας, ἔπωχρος, καὶ τά οὖλα κακὸν ὄζει, καὶ ἀπὸ τῶν ὀδόντων ἀφίσταται, καὶ ἐκ τῶν κνημέων ἕλκεα ἐκρήγνυται, κὶ ταλ. Et propter ſummos ventris dolores, εἴλεον αἱματίτην ſiue *voluulum ſanguineum* nuncupat idem Hippocrates, *l. de morb. int. ſect.* 49. Quo loci videtur error librariorum, vt opinor, corrigendus: Scorbuticos quippè deambulationi atque labori minimé prōptos eſſe omnium in confeſſo eſt, quare πρόθυμον, vt vulgò, apud Hippocratem non legerem, ſed οὐ πρόθυμον.

Galenus noſter ſymptomata quædam SCORBVTO communia recenſet, dum icterum & vitiliginem nigram ita depingit, vt quamuis aliëna ab affectu noſtro ſigna miſcerit; veriſimile, nobis videtur, SCORBVTVM à Græcis probè, quamuis rarò, cognitum fuiſſe, ideoque nec in morborum nouorum numerum eſſe referendum. Herodotus quidem *in Erato*, atque Æſchines *in epiſtolis*, Delij morbi meminerunt, cujus ſymptomata minùs cum vitiligine alba Iudæorumque lepra conueniebant, quàm cum SCORBVTO, cujus deſcriptionem aggredimur. Strabo quidem, *l.* 16. *geogr.* multa ad hanc rem adducit quæ SCORBVTVM antiquis incognitum fuiſſe non patiuntur.

Plinij verba, hiſt. nat. l. 25. c. 3. argumentum noſtrum maximè illuſtrant. *Nec beſtiarum ſolùm ad nocendum ſcelera ſunt, ſed interim aquarum quoque ac locorum. In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis, ſolus, quà potà, intra biennium dentes deciderent, compageſque in genibus ſoluerentur. Stomacacen Medici vocabant & ſceletyrben ea mala. Reperta auxilio eſt herba quæ vocatur Britannica, &c.* Congeriem ſymptomatum Scorbuticorum refert Auicenna, *can.* 3. *fen.* 15. *tract.* 1. cùm de ſignis apoſtematum ſplenis diſſerit. Paulus Ægineta, *l.* 3. *c.* 49. eaſdem ſcirrhi ſplenis notas memorat, his verbis: *Hoc preſſis vitio, os fœtet, gingiuæ exeduntur, vlcera in cruribus cicatricem non recipiunt*, quæ ferè eadem ab Alex. Tralliano repetita legimus, *l.* 8. *c.* 12.

Huic affectui duo præcipuè nomina indidere Recentiores, vtraque pœnè barbara. *Gingipedium* ideo nuncupatus eſt, quòd à gingiuis & pedibus corrupto ſanguine infectis præcipuè dignoſcatur. SCORBVTVM Sueci nominant, penes quos vt morbus primùm occurrebat frequentiſſimus, ſic illum quouis modo nominandi poteſtas erat. *Os* tamen *deprauatum* ſeu *fœtens* vernaculè ſignificat, & *ventrem lacerans* vt Olaus interpretatur, *l.* 16. *c.* 51. & poſt eum Schenkius, *in obſeru. med. l.* 6. Quibus certè analoga eſt lues *Stomacace* Plininiana: Quid enim prohibet Stomaca-

maca-

36

macaxiam quasi τὴν τοῦ στομάχου καχεξίαν illam nuncupatam fuisse? Sed hactenus de SCORBVTI antiquis nouisque nominibus: Ad eiusdem notitiam accedamus.

Sit itaque SCORBVTVS morbus chronicus ab humore melancholico primùm in splene coacto, postea in externa cute sparso, tandem cum gingiuarum exulceratione, & crurum debilitate, etiam absque febre sensibili jugulans.

Præcipua hæc sint SCORBVTI symptomata. 1. Præcordiorum angustia, quam δύσπνοιαν scorbuticam vocant, ob humorem melancholicum venam portæ obstruentem. 2. Expultrix facultas deprauata in toto corpore, & maximè in liene. 3. Qualitas mutata, color enim faciei, pallidus primùm, deinde fuscus, tandem subniger euadit. 4. Gingiuarum rubedo pruriginosa cum dolore. 5. Crura modò aucta modò imminuta sunt, pro ratione imbibitæ materiæ, aut præpeditæ facultatis. 6. Cephalalgia interdum immanis interdum vaga, quam sæpè comitatur spirituum torpor & somnolentia. 7. Corporis demum grauitas & spontanea lassitudo, scilicet propter crassum lentumque humorem in vniuerso corpore stagnantem, calori natiuo valde infensum. Hinc præcipuè læduntur deambulationis organa, nerui, tendines, musculi, arteriæque omnes ac venæ crurum tibiarum ac pedum.

Morborum causas norunt οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες esse & externas seu προκαταρτικάς, & internas; quibus incognitis *nullum affectum dignosci*, multominus curari docet Galenus, *l. 4. meth.* Hippocratis illud θεῖόν τι nonnisi καταχριστικῶς admittimus; vt nec astrorum influxum, inanem deceptorum vel decipientium azylum. Fas sit cuique credere vt mortem sic morbum physicè pœnam esse peccati: Nobis nihil religioni detrahentibus, at nec temerariè aut superstitiosè morbos *flagella Dei* nuncupantibus, illi plus tribuere quàm præcepit Deus O. M. religio sit. Multi sunt qui quòd hujus affectus causam ignorent, occultam non sibi modò, verùm & absolutè pronunciant. Quod quid est aliud nisi obscurum per obscurius explicare, atque ad peruulgatum asinorum pontem confugere: Cùm occultas facultates assumant pro remedio morborum, quorum ipsi naturam prorsus ignorant. In hos certè, si in quemquam, quadrare puto lepidum illud dicterium cuiusdam pöetæ:

Si vis sanari de morbo nescio quali;
Accipias herbam sed qualem nescio, vel quam;
Ponas nescio quò, sanabere nescio quando.

Externæ SCORBVTI causæ in prauam diætam reijciuntur, frequentem scilicet erapulam, & potum præcipuè aquarum corruptarum, ciborum mali succi esum; cujus generis sunt carnes sale fumoque induratæ, submucidæ atque putridæ, caseus, legumina, &c. Aërem præterea ambientem æquo candidiorem accusant, partes sanguinis subtiliores resol-

uentem, eiuſque maſsam poſtea craſſiorem efficientem. SCORBVTVM inde plus nocere autumno & vere, notauit Balduinus Ronſsæus, eo libello quem *de magnis lienibus* eruditiſſimè conſcripſit. Eundem iuſtò frigidiorem non minorem eſse SCORBVTI cauſam cenſent alij, vt pote qui calori natiuo potiſſimum aduerſetur, fuliginumque tranſmiſſionem cohibeat: Sicque ab alterutro aëris vitio corruptelam oriri, præcipuè in locis maritimis & vliginoſis, *in ijs quippe ſolent excreſcere magni lienes*, inquit Hippocrates, *l. de aëre loc. & aq.* & poſt eum Aëtius. Hinc Phaſiani (eſt autem Phaſis fluuiorum omnium ſtagnantiſſimus) pallidum ſemper præ ſe ferunt colorem, vt qui regio laborant morbo. Affirmat Realdus Columbus, *anat. l. 15.* ſe vnum lienem vidiſse quindecim libras pondere ſuperantem: at rara non ſunt artis. Deinde vigilias labores, venerem immoderatam, curas, triſtitiam, immodica ſtudia, ſucci melancholici prouentum generare, ac ideo διάθεσιν ſcorbuticam faciliùs accerſere, nullus eſt ſacris noſtris initiatus qui neſciat. Galenus prætereà, *l. 3. de loc. aff. c. 6.* docet à febribus præcedentibus humorem melancholicum contrahi. Hæ ſint ergo externæ generaleſque SCORBVTI cauſæ.

Interna propriorque, τό συνέκτικον ἄιτιον eſt, putidus humor ille melancholicus, aut hepati, lieni, meſenterioque infarctus, aut in præcordijs redundans & vaſis majoribus, copiâ ſuâ & craſsitie, ſingula quæque viſcera obſtruens: qui ſi ad muſculos cutemque feratur, maculas elephanticis ſimiles producit: Acrior deinde ac ſubtilior materiæ peccantis portio, vel à natura criticante, fas mihi ſit ita loqui, vel à calore ſurſum ferente, loca tenera humidaque faciliùs arrodit. Quin liquorem neruoſum & medullarem tunc vitio affectum eſse ſcribit Th. Willis, à quo moleſtiſsimi dolores & reſolutiones oriuntur. Imminutam crurum magnitudinem τῆς ἀτροφίας τεκμήριον, efficiunt & humorum intemperies, & facultatis naturalis atque vitalis imbecillitas.

Ordo nunc poſtulat vt SCORBVTI ſigna exponamus. Maximam ſymptomatum ſupra memoratorum συνδρομὴν hìc repetere ſuperuacaneum duco: Verùm illis ſuperaddam oris graueolentiam, gingiuarum tumorem laxum, ingentem atque ſanguifluum; dentes vacillantes; lentigines innumeras tum circa os, tum circa crura; anhelitus difficultatem; langorem; & interdum ſyncopem; pulſum inæqualem & languidum; neque tamen ſemper febricitantem; appetentiam interdum languentem interdum adauctam; hypochondriorum inflationes; dolores colicos moleſtiſsimos; crurum maculas plumbeas, purpureas, nigris violis obſcuriores; eorumque tubercula & vlcera, caua & maligna (hoc enim SCORBVTI ſignum eſt ſupra cœtera παθογνωμονικὸν) vrinas turbidas & rubicundas; ſudorem fœtidum & copioſum; ſputationem frequentem; aluum nonnunquam laxam nimis, nonnunquam conſtrictam; varices

rices

32

rices in lingua ac labio inferiori. Quæ quidem omnia vel in hydropem (siue λευκοφλεγματία fit, siue ascites) vel in dysenteriam desinunt lethalem, aliquando etiam contagiosam: Liceat quippe contagij nomine donare morbum, sola spirituum communicatione familias totas de repente inuadentem, vicos, ciuitates, exercitus, prouincias. Ex quo SCORBVTVM semper esse endemium, quandoque etiam epidemium, quin & in liberos hæreditario quodam jure progredientem, asserere non dubitamus. Cui etiam illud subjungendum censemus, non facilè diuites sed pauperes plerumque, ac rerum necessariarum inopià laborantes morbo hoc vexari solere: Sicut è contra vitæ mollities & rerum omnium affluentia hydropem, calculum, podagram aliaque incommoda producere consueuit. Neque post fata desinit SCORBVTI liuor; nonnunquam enim maculæ delitescentes, in ipsis cadaueribus efflorescunt, quales præcipuè stellionibus similes, in epiploo, pancreate, mesenterio, ac intestinis, ab Æsculapijs Parisiensibus nuper conspectas fuisse animaduertimus. Ne prætermittamus aliquot lienosorum signa à Cælio Aureliano commemorata, quæ Scorbuticis ætatis nostræ conueniunt: scilicet pediculorum multitudinem, grauem sudorem, per somnum penis erectionem, cutis tenuitatem, venarum tumefactionem præsertim in cruribus, & fluxum sanguinis è naribus: Hæc enim omnia ingentem corruptionem noxiosque vagantes flatus indicant, teterrimæ cacochymiæ sobolem.

Ad προγνωστικόν, abstrusiorem medicinæ partem transgrediamur. In SCORBVTO certè, quòd tetra horrenda variaque sint ejus symptomata supra quosuis alios morbos difficillimum id esse videtur, quod vbique difficile pronuntiauit Hippocrates, aph. 1. ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Sit ideo maximè cautum ac suspensum: vt enim plures à leuioribus pestis hujus principijs extremum diem obiere, sic multi pro desperatis habiti conualuere. Quæ quidem Medicum in prædicendo moderatiorem esse jubent, siquidem temeritatis aut ignorantiæ notam effugere velit. Scorbutici ab hydrope per totum corpus intumefacti, alijque διὰ τὴν ἀτροφίαν ad extremam maciem redacti, medicinæ beneficio sæpè pristinæ sanitati restituti sunt. Ergo magnitudo morbi quantacunque sit, conualescendi spem neutiquam præcidat, cùm viscera vel mediocriter sana existent. E contra exitialis censeatur SCORBVTVS, cùm pulmones corrumpi inceperint, aut abdominis contenta, obdura & velut scirrhosa euaserint, Præterea eos qui medicè recusant viuere, & in assumendis alimentis medicamentisque difficiliores ac morosiores sunt, ipsa si cupiat Salus seruare prorsus non potest. Suo itaque malo genio ac proximo fato relinquantur, *ne*, vt ait Celsus, *infamentur præsidia quæ pluribus possunt esse saluti*. Est Aretæi sententia, *l. 1. c.* 14. pueros & juvenes lienis scirrho facillimè corripi, facillimèque euadere: Senes verò difficulter eo lædi,

sed

sed affectos interitum euadere non posse.

Morbos similes eadem methodo, ijsdemque remedijs non sanari fatentur omnes Medici, cùm ætatis, virium, consuetudinis, climatisque diuersitati multa sint prudenter concedenda, quæ axiomatum nostrorum seueritati aduersantur. Absit à nobis & absit procul ille Empiricorum error, asserentium hoc vel illo medicamento, etiam absque vlla indicatione adhibito, curari morbos eiusdem generis: *Nullus est enim alteri per omnia similis*, inquit Galenus, symptomatum multitudine hos scilicet plus minusve quàm illos opprimente. Vix alibi majorem τῶν φαινομένων dissimilitudinem obseruaremus, quàm in SCORBVTO, quem ideo ingeniosè *morborum Protheum* nuncupauerunt. Hic enim tam varias ac multiplices induit formas, vt nisi accuratè inuestigetur pro eodem agnosci nequeat. Lipothymiam interdum habet comitem, interdum cordis palpitationem. Fingit aliquando hydropem, convulsionem, paralysim, apoplexiam; quin & ijsdem stipantibus, vel cum atroci dolore, vel de repente ægros interimit. Adeo verùm est illud Fernelij nostri, *path. l.* 1. *ægritudinibus adjunctam symptomatum diuersitatem, non ideo diuersos morbos efficere*.

Caueat ergo Medicus ne Sempronium aut Stichum SCORBVTO affectos ijsdem curet præsidijs. Perlustratis attentè morbi causis atque signis, ægros ipsos maximè respiciat: Sicut enim inter tot hominum millia nullæ sunt facies similes, nullæ voces; ita morbus iste non minùs varius esse videtur, pro corporum in quæ incidit dispositione. Tum neque morbus tantùm aut æger respiciendus est, sed & ægri animus, vt sapienter docuit Celsus, *l.* 3. *c.* 1. dissentientium medicorum historiam narrans, qui Magnati Macedoni medentes, diuersum morbi exitum pronuntiauere; altero salutem pollicente; solas scilicet ægrotantis vires affectusque magnitudinem ponderante, altero mortem prædicente ob eiusdem animum quem nouerat intemperantissimum: Cuius spem, inquit Celsus, euentus non fefellit, paucos enim post dies æger miserrimè obijt. Omnia deinde ita componantur vt ex erudita Medici solertia, & obsequenti ægrotantis fiducia exurgat expetitus ille τῆς θεραπείας scopus, summum naturæ bonum, sanitas.

Præter causarum amotionem, generalia sint hæc medendi præcepta, obstructionem soluere, intemperiem sedare, & partem affectam corroborare. In his tribus quoniam tota salutis spes posita esse videtur, illa pro viribus & concessa nobis temporis periodo peruestigemus.

Obstructionem, morborum omnium parentem esse frequenter docuit Hippocrates, πάντων τῶν χαλῶν ἡμὴν ἡγεμὼν, vt cum Galeno loquar. Illam duobus potissimum modis oppugnabit Medicus: prohibendo primùm ne peccans humor vlteriùs generetur, aut ad partem affectam profluat; deinde partes teneriores dissipando, duriores emolliendo, &

38

euacuando materiæ portionem cuius copià impeditus fuerit humoris fluxus. Quæstio hic vtique celebris oritur, an mittendus sit Scorbutico sanguis? Ab hoc præsidio Galenum declinàsse dicunt αἱμοφόβοι, vetantem, *l.* 4. *de sang. miss. c.* 2. ei venam tundere cui sanguinis moles plurimùm à qualitatis mediocritate recedit; ne scilicet detracta purioris materiæ parte, quæ reliqua est furias agat, & pravus succus qui plurimus inest biliosis, eos ad interitum deducat. Idipsum eleuat summus ille naturæ scrutator, *comm. in aph.* 17. *sect.* 2. *& l. de rat. vict. in acut.* Docet quippe his consultum prorsus fore, initio morbi sanguinem detrahere quo saluberrimè simul omnes vitiosi humores expurgentur & æquabiliter euacuentur. Ἐι δὲ οἱ τέσσαρες χυμοὶ πλεονάζουσι χρὴ πρότερον φλέβα τέμνειν πρὸ τῆς καθάρσεως, ἢ καθαίρειν πρὸ τῆς φλεβοτομίας. Secus enim plethora continuum suppeditaret morbi fomitem, præcipuè florenti ætate, ac quadrato corpori. Aurea audiamus Hippocratis verba, *l.* 4. *de rat. vict. in acutis, aph.* 18. ψευδοπραγματικοῖς valde aduersa: ου δυύανται λύεσθαι ἤν τις πρότερον ἐπιχειρέῃ φαρμακέυειν, ἀλλὰ φλεβοτομίη τῶν τοιῶν δε ἡγεμονικόν ἐστὶν. Ἔπειτα δὲ ἐπὶ κλυσμῶν ἢν μὴ μέγα καὶ ἰχυρὸν τό νόσημα ᾖ. Ειδε μὴ καὶ ὕστερον φαρμακέιης δεῖ, δέεται δὲ καὶ ασφαλείης καί μετριότητος μετὰ φλεβοτομίην φαρμακέιης. Hoc est, *Solui non possunt si quis primùm purganti medicamento vti aggreßus fuerit: nam venæ sectio in his princeps est remedium: Deinde ad clysteres procedendum si magnus & vehemens fuerit morbus: Si verò non, & postea medicamento sit opus, sane id post sanguinis missionem securè & mediocriter adhibendum.* Id autem è maioribus brachiorum venis intelligamus; basilica scilicet mediana aut cephalica: Sic enim maxima corporis vasa visceraque promptiùs ab onere quo tanquam sarcinà, oppressa sunt, liberabuntur, lienis durities seu *saxeitas*, vt loquitur Cæl. Aurelianus, discutietur, δύσκρασίςque Scorbutica citiùs ac securiùs debellabitur. Neglecta prorsus minorum vasorum apertione, vt saluatellæ, quæ multo plus habet apud imperitos famæ, quàm apud ægrotantes beneficij; & sic renutante doctissimo Petr. Foresto, *l.* 20. *obser.* 11. Quòd si melancholicus sanguis ad coxas jam defluxerit, poplitis aut malleoli venam tundere, aut hirudinum suctu venas sedales deplere, maximo fore auxilio non ambigimus, euacuato scilicet humore validiùs & viciniús premente; Idque pręcipué in fœminis, cúm substiterint τά καταμηνια; aut in viris si sævus adsit hæmorrhoidum dolor.

Fluidior deinde euadat sanguinis massa, cujus beneficio corpus impuritate faciliùs liberetur: Sic quippè jubet diuinus Hippocrates, *aph.* 70. *sect.* 7. τὰ σώματα χρὴ ὅπου τις βούλεται καθαίρεσθαι εὔροα ποιέειν. Nisi naturæ vires id præstiterint opitulentur ipsi decocta radicum capparis, fraxini, ad drachmas ij, seminum anisi, fœniculi, ad drachmam se-

mis: quatuor feminum frigidorum major. ad drachm. j. nafturtij aquatici quod σισύμβριον ἕτερον nuncupat Diofcorides, *brunkreffen* Germani, cochleariæ, quam Telephium Diofcoridis putant, meliffæ, abfynthij vtriufque, vulgaris fcilicet & Pontici, chamedrios, fumiterræ, hyffopi, ceterach, fcolopendrij, ad manipulum j. quinque generum mirabolanorum ad drachmam j. Sennæ Alexandrinæ, ad vnciam vnam, cum exigua mellis aut facchari portione: ficque ex duabus paratis decocti libris, quatuor vnciæ fingulis diebus Scorbutico exhibeantur. Enemata non omittantur, aluis præcipuè durioribus, ex decocto mercurialis, parietariæ, abfynthij, florumque roris-marini, cum mellis communis vncijs duabus. Fluidam enim aluum, vt omnibus bonum fic lienofis optimum effe docuit Hippocrates nofter, *aph*. 48. *l*. 6. τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθόν. Quod nifi fponte accidat, arte medica debet procurari.

Ad validiora poftea properandum, ratione virium cæterarumque circumftantiarum femper habita. Vomitum interdum quidem falutarem probauerunt, qui fanando huic morbo maximè incubuere, ad tonum ventriculi refpicientes, faburrà fucci terreftris, inquinati. Ex illis tamen fapientiores, curfum naturæ feruandum effe cenfuerunt, nec nifi rariffimè per fuperiora prouocandum. Cur enim, inquiunt, humoris impacti vifcofitatem illam & tenacitatem vomitorijs potius quam catharticis præfidijs euacuandam cenferemus? Sic enim moleftos interdumque grauiffimos capitis dolores qui vomitum comitari folent, vitaremus; humorumque peccantem fecurè leniterque per aluum fubduceremus. Cur præterea vel leuiffimam proftrationis virium aleam feu periculum non arceremus, & fi bis terue propinari deberent cathartica, quæ vel centies repetita nihil prorfus habent periculi. Hominis præftantiam diuinorum operum appendicem omni folertia cura & arte foueamus. Primas teneant inter cathartica, Senna, Rheum, Agaricum, Tamarindi, Caffia, Manna, electuaria Diaprunis, Diaphænicum & Catholicum dictum feu fimplex feu compofitum: Syrupi de rofis folutivus, de floribus mali perficæ, & Sapor. Conferuæ florum geniftæ, radicum bugloffi conditarum, & fpecierum lætificantis Galeni in fubfidium accerferi poffunt: Præterea fuccum limonum valde prodeffe multi memorant, aciditate fua luem Scorbuticam egregiè debellante. Hæc vera fint antifcorbutica: Cætera vt vt jactata, artis majeftatem minùs patefaciunt quàm artificis vanitatem, temeritatem ac ignorantiam. Iliadem medicamentorum poffem hìc enumerare quæ à Medici prudentia atque πολυμαθία maximum defiderant delectum. Vitentur porrò aloëtica & diagrydiata, vt pote quæ nimis humores ac fanguinem exagitant. Turbith, Ialap, & Mechoacan, ferociffima medicamenta, illo præfertim nomine commendantur quòd fint alienigena: Recordemur tamen non incertam modò verùm & periculofam effe medicinam quæ ex alio orbe petita eft.

Abhorreant viri boni, οἱ χαρίεντες, & humanæ ſalutis ſtudioſi, ab omni Antimonij vſu, quantumvis barbaris chymicisque nominibus laruati. Lethale ferè ſemper eſt ſtygium illud venenum, inhumanum agyrtarum idolum, cujus maleficio non tam ſordes eluuntur quàm venæ aperiuntur & viſcera diſcerpuntur. Sapienter equidem ſæculo ſuperiori, anno ſcilicet M DL XVI. decreuit Saluberrima Facultas Medica Pariſienſis, Stibium ſeu Antimonium eſſe deleterium, ac inter illa medicamenta recenſendum, quæ venenata qualitate pollent, quodque vt nulla quauis præparatione poteſt emendari, ſic nec citra certiſſimam noxam aſſumi. Fruſtra hujus medicamenti perniciem mille autoritatibus confirmaremus, quotidiana etiam experientia ſatis comprobatam; Vnius Mercurialis hæc ſufficiat, celeberrimi olim in hac Academia Profeſſoris, *l. 2. de comp. medic. c. 2. Tempore noſtro Theophr. Paracelſus primus cœpit vti hoc diabolico medicamento, non ad purganda corpora, ſed ad jugulandos homines.*

Leuioris armaturæ præſidia cenſeantur coxarum tibiarumque frictiones; tum ex oleo laurino, tum ex roſaceo, neque tamen in totum ſpernendæ ſunt, maturant quippe, rarefaciunt & digerunt: illas valde commendat Celſus, *l. 4. c. 9.* Modicè euacuantia & emollientia applicentur. Valde probata varia lutorum genera, ac præcipuè Sancti Bartholomei in agro Patauino, ab eruditiſſimo Hier. Mercuriali, animaduertimus, *l. 3. c. 22.* Pinguia ſuſpecta ſunt, craſſaque, quòd obſtruant. Inungantur porrò nerui, ſi rigor in genubus tibijſque ſentiatur, pingui illa mucagine decoctionis pedum bubulorum, poſt leuem frictionem: Nihil enim affectis contractis rigentibuſque neruis æque conuenire ſuadent & Medici & experientia. Diureticas potiones tum ſudorificas, ex Guajaco & Zarſaparilia paratas, imò & hypocauſta, Scorbuticis multi præſcripſerunt, & ipſe Celſus, à quibus tamen cautiores abſtinuiſſe animaduerto, iure-merito verentes ne excrementitium quid ſiccando nimiùm incraſſetur quod humoris alimentarij reliquum eſt, neue æger non minùs remedio quàm morbo ſuccumbat.

Ad diætam pergamus, continuam ſanitatis aut morbi cauſam; ἐκ τούτων γὰρ νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν. Salutaris aer in ægrotantis cubiculum intromittatur, ſerenus ſcilicet tenuis ac purus, & ab auſtrino flatu liber, humidus paluſtriſque vt nocentiſſimus arceatur. Domus ſicca ſit, SCORBVTVS enim exacerbari ſolet humida murorum exhalatione. Ignis in ea frequenter accendatur, non quidem ex carbonibus, horum enim vapores primùm coacti atque ſuffocati, ſpiritus inficiunt ſi effundantur, ſed ex lignis ſicciſſimis. Id quidem exemplo illuſtri docuit Hippocrates, quo ſæuientem Athenis peſtem mirificè, diſſipauit. Vno verbo quæ putredinem quouis pacto inducunt, tanquam virulenta fugiantur.

Ad valetudinis conseruationem & morbi effugium plurimùm referre testatur Iul. Cæsar vt Marte sic Apolline clarus, *de bel. ciu.* quo quisque cibo aut potu vtatur, quod postea medicè explanauit Galenus, *l. de alim. bon. & mal. succi*: Ijs quippe tantum præcauetur, quantum medicamentis curatur. Sit itaque victus ratio omnino incidens & attenuans; pisces, aquaticæ aues, carnes assatæ fumo saleque conditæ omnino arceantur, præcipuè suilla. Adstringentia vitentur vt mespila, mora: crassum succum generantia, vt lagana, legumina &c. tum dulcia quæ facilè bilescunt. Ἔυχυμα ἔυπεπτα, ἐυανάδοτα sola concedantur. Seruata tamen Auicennæ lege, cujus methodum explicandam suscepimus, optimum esse seruare jejunium. Quamquidem ita explicat Theod. Priscianus, *l. 3. c. 15.* vt lienosi affectus cura à jejunio & patientia inchoanda sit. Potus sit aqua salubris, fontana vel fluviatilis, nullis inquinata aut mineralibus aut fœcibus. Chalibeatam valde commendat Celsus, *hæc enim lienem coërcet, quòd animaduersum est in ijs animalibus quæ apud fabros ferrarios educata, exiguos lienes habent.* Inter pascendum plurimùm proderit vinum album tenue & ὀλιγοφόρον, chamedrite aut absinthite: hac enim medicatione scirrhosos tumores faciliùs discuti peritiores artis magistri confitentur. Chalibeatum præscribit Aëtius, *l. 10. c. 2.* cujus conficiendi duplicem modum tradit. Exulet prorsus cereuisia, omnisque potus obstruens: is enim deterrimam inducit putredinem, nulla reparabilem arte, cui continuò vincendæ frustra allaborans calor nativus tandem cedere cogitur. Hinc vt supra diximus, frequentissima oritur Scorbutica pestis, cujus arcendæ virulentiæ causâ, mundas tersasque fascias frequenter esse iterandas monuerunt viri clarissimi, quorum industriæ SCORBVTI curatio commissa est. Omphacium ab omnibus probatum in obsonijs animaduerto, abstergendi viribus maximè præditum, quin & *acetum proprietate sua maximè lieni conuenire* ab Auicenna traditum est. Quod in mentem reuocat, Strabonis, *l. 3, geogr.* & Diodori sic. *l. 5.* diligentiam: Hi quippe scribunt Celtiberos Hispanosque consueuisse mane lotio proprio dentes atque gingiuas ad abstergendum nocturnas sordes colluere. Somnus quidem moderatus sit, neque tamen diuturnior: Quies autore Celso, *l. 4. c. 9.* lienis vitium adauget, cui ex aduerso plurimùm confert frequens exercitium, motus & labor. Sinamus à Lenone Plautino, *in Curcullione*, lienosum ad Venerem venustè prouocari, hocque tanquam lieni optimum prodesse. Medicorum lenonumque axiomata toto cœlo differre norunt, qui hos libidini omnia tradere, illos naturæ hominumque saluti, attentiùs perspiciunt.

Præmissis hisce generalioribus, Medicus hostem cominus aggrediatur, & juxta consilium Hippocratis, *l. de vlcer. c. 3.* sanguinem è partibus mittentibus vicinisque effundat: Ἕλκει νεοτρώτω παντὶ ξυμφέρει αἷμα ποιέειν ἀποῤῥέειν; sic enim faciliùs cedent vlcera, secus diuturna mali-

gnaque

gna que euaſera. Aëtius, *Tetrab.* 4. *ſerm.* 2. *c.* 40. adoleſcenti diuturnum vlcus ad radicem manus habenti, venam ad vlcus supernè allatam ſecuit & intra paucos dies ſanauit. Si varices circa vlceratum locum ſe exerant, ſtatim eas exſcindi neceſſe eſt, jubente Galeno, *l.* 4. *meth.* idque poſt Hippocratem ita docentem, *l. de vlcer. c.* 16. ἀλλὰ χρὴ αὐτὸν τὸν κιρσὸν ἀποκεντέειν ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε. Prohiberent enim ne vlcera glutinari carneque repleri poſſent, intemperie continuò partem affectam occupante. Circuncidenda ſunt vlceris labra, ſi callo obducta fuerint, vt eiuſdem ſiccatio omni arte procuranda: Siccare quippe vlcus, inquit Hippocrates, ſanare eſt. Hinc vlcera vniuerſa niſi vino humectare vetat Dictator noſter, *de vlcer. c.* 1. ἕλκεα ξύμπαντα οὐ χρὴ τέγγειν πλὴν οἴνῳ. Siccant modicè terra Cadmia & *ſigillata* dicta valentiùs chalcitis lota & ærugo vſta, Myſi & Sory; a quorum tamen mordacitate prudenter cauendum eſt. Alumen quidem potenter ſiccat & abſtergit, at quod adſtringat, valde ſuſpectum eſt Galeno, *l. de compoſ. medic. ſec. loc.* Quare cautè admodum eligenda ſunt medicamenta digerentia & adſtringentia, nulla mordacitate nulla exaſperatione pollentia. Vtiliſsimum erit vnguentum à Io. Tagautio præſcriptum, *l.* 3. *c.* 15. ℞. Cadmiæ, aluminis, chryſocollæ, ſingul. partes 8. æris floris & æruginis vſtorum, ſingul. partem vnam: gummi cupreſſi partes 4. ceræ, olei roſacci q. 5. Ambientes porrò partes pharmaco quod phlegmonem arceat, circundare oportet, atque mitigando & emolliendo, πλατύσμα continuò renouare, donec vlcus cicatricem contraxerit. Quod ſi ne ſic quidem ſucceſſerit, confugiendum erit ad emplaſtrum illud admirandum Galeni *è ſori* dictum, cujus compoſitionem videre eſt apud Aëtium, *Tetrab.* 4. *ſerm.* 2. *c.* 44. A numero quippe morborum & ſymptomatum, adaugendus erit remediorum numerus.

Depaſcentibus oris atque tonſillarum vlceribus, remedio eſſe herbam Britannicam aſſerunt tum Plinius, *l.* 25. *c.* 3. tum Dioſcorides, *l.* 5. *c.* 2. tum etiam Galenus, *l.* 6. *de ſimpl. med.* cui quòd nobis ſit incognita, biſtortam ſubſtituimus ijſdem qualitatibus præditam. Illâ ſanari præſentiſſimè docent recentiores, collutione præparata ex corticibus & folijs oxyacanthæ vulgaris & roſis integris maturis, in aqua chalibeata coctis. Alij idem præſtare dicunt oliuæ folia cum ſtillatitio plantaginis & nicotianæ liquore contuſa: Item decoctum hyſſopi, ſaluiæ, roriſ-marini, cui admiſceatur nonnihil mellis roſacei. Si verò contumaciora ſint vlcera, prædictis aquis affundantur guttæ aliquot ſpiritus vitrioli, pareturque gargariſmus. Supercreſcentem carnem, ſi quæ ſit, ſcalpro aut vulſella eximere conueniet, & indeſinenter os colluere: quod verò commodè eximi non poterit, vnguento Ægyptiaco vel alumine vſto cum roſaceo melle conſumatur. Venæ quæ aut ſub lingua ſubſiſtunt, aut quæ in labijs ſunt, ſi extuberent & intumeſcant, non inconſultò tundantur, quin

&

& continuò procurandum eſt, vt ex gingiuis atri illius ſanguinis fluor ſollicitetur, cujus morâ, vlceris conglutinatio præpediatur. Vacillantibus deinde dentibus, optimum erit oleum vitrioli. Remedijs morbum non expugnantibus, ad ignem multi confugiunt. Hippocrates *l. de int. affect.* ſtatuit vrendum eſſe lienem, cùm ejus affectus contumax fuerint. Ejus præceptum ſecuti ſunt Scrib. Largus, Alex. Trallianus, Rhaſes & alij; nullo tamen quomodo vratur lien, prodente. Scribit quidem Dictator noſter vrendum eum eſſe decem in locis, quaſi ferro candente decem eſſent adminiſtranda cauteria; alioſque modos etſi non vtiliores indicant Albucaſis & Auicenna. At Cælius eximendum eſſe omnino lienem è corpore docuit; cui ſubjungit rem dictu quàm factu faciliorem. Quamuis enim canibus equiſque, quò velociùs currerent, lienem ἀκινδύνως auulſum fuiſſe nouerimus, nulli Scorbutico ſuaderemus tam ſæuè ſibi lienem eximi.

Porrò ad præſeruationem Scorbuticorum, tabellarum harumce quæ in pharmacopolijs Oxonienſibus vulgò proſtant, vſum ſalubrem facilè credimus. ℞. *Cort. aurant. limon. citri cond. an. vnc. j. radic. eryngij cond. vnc. ß. nucleorum pini, piſtachi an. xx. amygdalar. dulc. excort. num. x. ſemin. aniſ. pulu. vnc. ß. zinzib. condit. vnc. ij. Specier. aromatic. roſat. nuc. moſcat. an. drach. j. ß. rad. galangæ drach. j. caryophill. num. x. ambræ griſeæ gr. iiij. moſchi, zibetæ an. gr. ij. ſacchari albiſſimi ſolut. in aqua roſar. & ad tabulat. coct. lib. j. ß.*

Appendicem Scorbuticorum remediorum arbitratur Petr. Foreſtus, *l. 19. obſ. 38.* ſyrupum ſceletyrbicum, cujus laudes tantas eſſe aſſerit, vt mihi viderer quicquam optimi Vos celaſſe, ſi illum reticerem: is ita parari conſueuit. ℞. *ſucci cochleariæ, bekabungæ an. lib. iij. ſacchari opt. lib. ij. cum oui albumine depurentur, coquantur ſimul, fiat ſyrupus ſecundum artem.* Horum omnium vice Lappones SCORBVTO affectos, ſcribunt Lundius Schefferuſque *in Lapponiæ Hiſtoria*, ſanari Rennæ ſeu Rangiferi epoto ſanguine: Barbaros medicis, & omni ferè medicina priuatos ſatius eſt excuſare quàm imitari.

At manum de tabula. Nunquam deficerent Medicorum præſcripta; ſi aut ijs omnibus fidem adhibuiſſemus, aut eadem curando huic morbo neceſſaria eſſemus opinati. Illa percurrant diligentiores quibus hæc res cordi erit, apud Euritium Cordum *in botanologico*, Olaum Magnum *de gentibus ſeptentrionalibus*, *l. 16.* Alb. Crantzium *in Saxoniæ deſcriptione*: Dodonæum, *in ſtirpium hiſtoria*. Langium, *in epiſtolis*; Gemma in *Coſmocrit*. Io. Am. Agricola, *lib. de herbis.* Foreſtum, *l. 20. obſeru.* Wierum, Echtium, Schenkium *l. 6.* Ronſsæum, Sennertum, Mercurialem, Foreſtum, Eugalium, Horſtium, Platerum, Reuſnerum, Bauhinum, Villis, nonnulloſque alios. Viri ſunt illi quorum opera legiſse nunquam pœnitebit, præ-

ciguè.

cipuè ſi vt diligenter ſic & cum judicio perpendantur. Attamen illis quantæcunque ſint autoritatis, ſemper præferatur veritas: Imitemur Ariſtotelem philoſophorum Principem, qui cùm præceptores ſuos Socratem ac Platonem ſummo ſtudio ac veneratione coleret; tamen quod optimum quodque veriſſimum videbatur, ſemper eſt ſecutus. Ἀμφοῖν ὄντων φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

DIXI.